

cus huiusmodi coniugium?—Dum autem in Urbe de casu hoc publice disputabatur, in egregio ultramarino periodico, cui titulus: *Amer. Ecclesiastical. Review*, Ill. Aug. Lehmkuhl S. J. sic circa idem dubium mentem manifestabat:

«Peccat gravissime femina, quae ex mero arbitrio vel ex intentione fruendi matrimonio sine honore ex maternitate oriundo, operationem hanc faciendam curat; peccat medicus, qui vel rogatus tali intentioni obsecundat, quum sola necessitas salvandae vitae vel gravis curandi morbi ratio esse possit, ex qua liceat istam mutilationem, sive subire sive facere: verum, *postquam facta fuerit, lege naturali matrimonium non prohibetur, eo quod impedimentum dirimens non existat vel saltem de eo non constet.*—Ecclesia utique potestate potitur statuendi impedimenti. Si igitur opportunum iudicaverit, statuere poterit, ut vel omnis operatio chirurgica, qua mulieris ovaria vel uterus excidantur, vel eiusmodi operatio temere facta subsequens matrimonium dirimat. Quod si fecerit, res erit confecta. Sed *quandiu hoc non fecerit, aliis ius non erit matrimonium mulieris, per excisionem ovariorum vel uteri sterilis effectae, impedire*».

In periodicis iisdem libellis (1) aliam disquisitionem, auctore cl. Ios. C. Hild C. S.S. R., legere est sub titulo: *Examen cuiusdam libelli de carentia ovariorum relate ad matrimonium.*» In calce articuli sic habetur: «Si sponsus nolit ducere mulierem excisionem ovariorum passam, iuste potest hoc tanquam conditionem *sine qua non* in pactum deducere, uti aiunt, et ex iustitia exigere ut defectus ille manifestetur sub poena nullitatis contractus matrimonialis ineundi.»—Ex quibus verbis perspicuum est, auctoris sententiam esse, quod, nisi dicta conditio in pactum ducatur, excisionem a muliere passam validitati matrimonii non officere.

Sed iam cl. theologum secus opinantem audiamus.

«*QUAERITUR: In quo constituenda sit intrinseca essentia impedimenti impotentiae?*»

«R. In primo quaesito agitur, ut patet, de impotentia ad matrimonium.»

Parcat praestantissimus vir, si a limine eum interpellem. Sa-

(1) Iun. 1903.